ſimili modo, qui denegat inimico exiguum beneficium toti communitati præſtitum ideò, quia ipſi nedum magnum quid, ſed ne minimum quidem præſtare vult, utique habet grave odium, & peccat mortaliter.

DISPUTATIO XVI.

De ordine & præcepto charitatis.

LIcet charitas Theologica nullum divinæ bonitatis, ut eſt in ſe ſupernaturaliter à creaturis participabilis, vel actu vel potentiâ conſortem, excludat. Attamen quia non omnes æqualiter eandem bonitatem participant, hinc non æquali omnia diligibilia proſequitur affectu, nec parem omnibus exhibet effectum, ſed ſicut ex præcepto diligit, ità in diligendo ordinata eſt ſecundum illud Cant. 2. v. 4. *Ordinavit in me charitatem.*

QUÆSTIO I.

An & quomodo Deus ſit diligendus ſuper omnia?

NOta 1. Dupliciter poteſt intelligi, quod Deus diligatur ſuper omnia 1. quod diligatur ſuper omnia *appretiative*: id eſt: quod is, qui Deum amat, ſit paratus omnia terrena bona propter Deum deſerere, & omnia mala æquo animo potius tolerare velit, quam Deum charitate dilectum culpâ mortali offendere & ejus amicitiæ fœdus rumpere: *Intenſivè*: id eſt: ut ille actus, quo Deum diligimus, ſit in majori gradu intenſionis, quam actus, quo nos vel aliud quid diligimus.

DICO. *Principaliter & maximè Deus eſt ex charitate diligendus.* S. D. hic Q. 26. a. 2. O. Sive Deus eſt ſuprà omnia appretativè non tamen intenſivè diligendus.

Probatur 1*ma pars*: Deus diligendus eſt ut ulti-

ultimus finis; atqui, qui diligendus est ut ultimus finis, diligendus est appretiativè super omnia: quia ut ait S. Th. hic Q. 44 a. 4. O. *Requiritur ad actum virtutis, non solum, ut cadat super debitam materiam, sed etiam quod vestiatur debitis circumstantiis, quibus sit proportionatus tali materiæ.*

2. Talis est Deus, qui est omne bonum & totius bonitatis fontale principium, ut diligendus sit ex toto corde: id est; ex totâ intentione seu voluntate. Ex totâ animâ: id est: sic ut totus appetitus sensitivus reguletur secundum leges Dei. Ex totâ fortitudine: id est: sic ut omnes nostri actus exteriores sint conformes divinis legibus. Ex totâ mente: id est: sic ut noster intellectus Deo subjiciatur; quem amorem ità describit S. Franciscus Salesius L. 10. de amore cap. 6. *Hoc est, quod Deus à nobis requirit; ut scilicet inter nostros amores ipsius cumprimis nobis cordi sit, solusque dominetur in cordibus nostris eaque singulari favore tota quanta repleat & in hoc augendo & conservando omnes nostras conferat potentias, si sit sublimis replens omnes nostras mentes & constanter exercens omnes nostras vires & animos & quia per istum amorem Deum eligimus pro supremo objecto nostræ mentis est amor supremæ electionis* & infrà *in summa est amor excellentiæ vel excellentia amoris, qui omnibus mortalibus in genere & in specie seu generaliter & particulariter unicuique mandatus est, & hoc à primo momento, quo incipiunt uti ratione: amor inquam ut sufficiens unicuique, ità necessarius omnibus ad salutem consequendam.*

2da *Pars probatur*: Quod non cadit sub scientiâ, etiam non cadit sub præcepto; sed gradualis actuum intensio non cadit sub scientiâ: cum vix discerni possit; ergo non cadit sub præcepto, & consequenter sincero actu dilectionis quantumvis remisso potest impleri præceptum charitatis.

Obj. 1.

Obj. 1. Deus est finis ultimus nostri amoris, creaturæ autem sunt finis tantum secundarius & quasi media ad ultimum finem, atqui juxtà dictamen rectæ rationis vehementiori & intensiori amore tendere debemus in finem ultimum, quam in finem secundarium; quia recta ratio postulat, ut res quælibet diligatur secundum suam dignitatem & præstantiam.

℟. Ex S Francisc. Salesio l. 10. cap. 3. *Pretium amoris, quem Deo offerimus dependet ab eminentiâ & præstantiâ motivi, propter quod & secundum quod nos eum amamus eo titulo, quo est suprema & infinita ejus bonitas & Deus optimus maximus. Porrò Gutta una istius amoris pluris est, efficacior est plurisque æstimari debet, quam omnes alii amores, qui unquam esse possunt tum in cordibus hominum tum in choris Angelorum: nam dum amor iste vivit, simul regnat & imperat omnibus affectionibus, faciens, ut Deus ab amante indifferenter, universaliter ac sine ullâ exceptione rebus omnibus præferatur.*

Obj. 2. Nisi Deus diligatur summâ intensione, non diligitur ex toto corde, ex totâ animâ &c.

℟. Negando assump. vel distinguendo: non diligitur ex toto corde, ex totâ animâ hoc est: omni possibili virium & affectuum conatu Con. hoc est: ut aliquis affectus vel inclinatio ei dilectioni prævaleat vel æquetur N. Præceptum diligendi Deum ex toto corde &c. potest dupliciter intelligi; uno modo, ut per illud homini præcipiatur, omnes animæ vires ità in dilectionem Dei impendere, ut non possit ampliùs; altero modo sensus præcepti est: Deum esse diligendum præcipuo amore nil ei anteponendo vel æquando, ità ut homo paratissimus sit contemnere, quidquid ejus amicitiæ repugnat, & præstare quidquid ejus amicitia postulat: qui enim Deo aliquid anteponit, non Deum, sed illud potiùs ex toto corde diligit: ut

ergo

ergo Deus diligatur ex toto corde, debet diligi super omnia: id est: debet omnibus, quæ in corde sunt anteponi, & hoc posteriori modo est intelligendum præceptum charitatis, diligendi Deum ex toto corde, ex totâ animâ &c. quod nobis adhuc peregrinantibus datur, non autem priori modo: quia prior modus pertinet ad charitatem patriæ, secundus autem modus pertinet ad charitatem viæ, quæ in hoc consistit, ut ità habitualiter cor ponatur in Deo, ut nihil cogitet aut velit, quod divinæ dilectioni sit contrarium.

Obj. 3. Verba illa *ex toto corde &c.* si propriè sumantur, ut in hoc primo mandato sumi debent, significant flagrantissimum affectum, & consequenter affectum intensiorem ergà Deum quam ergà aliud à Deo distinctum.

℟. Secundum phrasin S. script. censetur illud ex toto corde fieri, in quo quis præcipuum suum studium & cogitationes ponit; quomodo etiam de aliquo multum studioso dicimus, quod totus sit in litteris & libris. Exempla script. sunt 2. Reg. 15. v. 13. *Toto corde universus Israel sequitur Absalon.* Genes. 31. v. 6. *Ipsæ nostis quod totis viribus meis servierim Patri vestro.* 2. Paralip. 15. v. 15. *In omni corde suo juraverunt & in totâ voluntate quæsierunt eum.*

Obj. 4. Deus juxtà omnes est appretiativè magis amandus, quam ulla creatura; ergo cor nostrum intensiore amore Deo, quam creaturis adhærere debet; si enim intensiore dilectionis vinculo alicui creaturæ astricti sumus, secundum præsentem dispositionem parati sumus, Deum potiùs, quam creaturam illam relinquere: quia amor nexus est, quo amans rei amatæ astringitur & alligatur; ergo si fortiori amore creaturis quam Deo alligetur, secundum præsentem dispositionem faciliùs à Deo quam à creaturis cor

avelli

avelli poterit, & consequenter, si intensior sit amor creaturarum quam Dei, Deus non amatur appretiativè super omnia.

℟. Ex S. Francisc. Salesi. l. 10. cap. 7. *Divina dilectio sinit quidem nos habere alios amores, & sæpè discerni non potest, quis eorum sit major & principalis in corde nostro, eò quod non rarò cor humanum... multiplicet longè magis actus suæ affectionis adversus creaturam, quam actus dilectionis ergà creatorem & tamen sacra dilectio non propterea desinit excellere & alios omnes superare.* Declarat hoc S. Episcopus in simili Matris: potest enim Mater aliqua esse occupata circà infantem osculis, amplexibus, Curis &c. adeòque tenerè amare, ut nihil videatur ampliùs diligere, si tamen daretur optio: an infantem, an maritum velit deserere, jam ilicò adhærebit marito relicto infante; hæc est similitudo S. Francisc Salesii, & eodem modo reverà se habet homo, qui creaturam intensiùs diligit quam Deum, hic etiam oblatâ optione (nisi deviet ab ultimo fine) Deum præ creaturis omnibus æstimabit & præferet, & in hoc consistit amor appretiativè summus.

QUÆSTIO II.

An & quomodo homo debeat magis diligere seipsum quam proximum?

DICO. *Homo ex charitate debet magis seipsum diligere quam proximum.* S. Th. hic Q. 26. a. 4. O.

Probatur 1. Lege divinâ dilectio sui ipsius statuitur, tanquam exemplar & regula dilectionis proprii; atqui exemplar est potius exemplato; ergo. 2. Charitas, quæ fundatur in communicatione beatitudinis supernaturalis, inclinat hominem, ut seipsum amet, quia ipsemet est beatitudinis ipsius particeps, & ut amet

ptoxi-

proximos, quia sunt socii in eadem beatitudine participandâ; ergo charitas magis inclinat hominem, ut amet seipsum, quia potior est unitas & identitas secum, quam unio & societas cum proximo. Hunc ordinem servarunt prudentes virgines Matth. 25. quando fatuis dixerunt, ne fortè non sufficiat nobis & vobis. Eundem indicat Sapiens Eccles. 14. v. 5. dum ait: *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit.*

Ut hæc Conclusio generalis magis exponatur, distingui oportet bona, quæ nobis & proximo volumus. Duplicia sunt hæc bona: alia sunt spiritualia, alia sunt temporalia.

Regula 1ma est: Tenetur se homo magis diligere quoad bona spiritualia, quæ cadunt sub obligatione: hujusmodi bona sunt gratia & gloria & universa, sine quibus hæc consistere non possunt; uti est devitatio peccatorum sive observantia præceptorum ac executio necessaria salutis mediorum. Ex hâc Regulâ

Infertur 1. Non licet peccare etiam venialiter pro ullo bono proximi aut etiam totius mundi: non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona ad Rom. 3. Nec intentio finis ex se boni excusat electionem pravi medii.

Nec obest: quod bonum commune totius mundi prævaleat bono particulari; quia hoc tantum verum est, si bonum commune per media licita valeat promoveri; & deinde in præsenti homo ille, qui non vult aliquod peccatum facere, præponit bonum totius: nempe Deum, qui est bonum universalissimum, & respectu cujus alia bona omnia habent se ut particularia: hunc enim non vult offendere faciendo aliquid intrinsecè malum, quod ipsi non potest non displicere.

Infertur 2. Non potest quis directè quærere occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel

temporali proximi; quia sic se exponeret periculo proximo peccandi, quod est idem ac velle peccatum, unde Innoc. XI. meritò damnavit sequentem propositionem 63. *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.* Quæ propositio contrariatur dicto Christi Matth. 16. v. 26. *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Hinc non potest quis adire infideles pro eorum conversione, si subsit periculum propriæ perversionis; non potest quis adire fœminam ad instruendum ipsam in fide, si sit periculum peccandi cum ipsâ &c.

Infertur 3. Nec secundum præsentem Dei ordinationem, secundum quam gratia & beatitudo per solum peccatum amittitur, neque si hoc absque aliquo peccato contingere posset, potest homo licitè velle ob salutem proximorum privari gratiâ & beatitudine in perpetuum: quia hoc est contrà inclinationem charitatis, quæ tamen est universalissima & cui omnes inclinationes aliæ subjici debent, sic enim ipsamet charitas in perpetuum destrueretur, aut non existeret, huc quoque collineant illa Christi verba Matth. 16. *Quid prodest homini &c.*

Dices: Exod. 32. v. 31. & 32. Moyses pro populo Dominum precatur: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis dele me de libro quam scripsisti.* Ubi videtur Moyses deletionem sui de libro vitæ & prædestinationis, adeoque carentiam perpetuæ beatitudinis optasse propter proximorum salutem. Huc etiam pertinere videtur illud Pauli ad Rom. 9 v. 3. *Optabam ego ipse à Christo Anathema esse pro fratribus meis.* Ergo &c.

R. Moysen tum ad significandam magnitudinem affectûs sui pro populo, tum ex summâ fiduciâ de

Dei

Dei ergà ipsum amore & remissione impetrandâ ità per exaggerationem fuisse locutum, ut sensus sit: aut dimitte illis, aut dele me, quod certò scio te non facturum, adeoque plane fido, te facturum primum, & illis dimissurum. Idem responderi potest ad locum S. Pauli. S. Th. hic Q. 27. a. 8. ad 1. duas alias solutiones adhibet nempe 1. quod Apostolus hoc non in statu gratiæ sed in statu infidelitatis optaverat (nam optabam inquit) ideoque in hoc non sit imitandus. Secundò quod juxta S. Chrysost in L. de compunct. voluerit tantum ad tempus privari fruitione divinâ.

Infertur 4. Potest quis pro salute proximorum voluntariè carere beatitudine ad tempus: quia non cadit sub obligatione charitatis illam velle quovis tempore assequendam ideoque possumus velle ad tempus illâ carere pro salute aliorum exemplo Sancti Pauli ad Philip. 1. scribentis, *Coarctor è duobus desiderium habens dissolvi & esse cum Christo permanere autem in carne necessarium propter vos.* Item exemplo S. Martini dicentis; *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem, fiat voluntas tua.* Similiter potest quis ad breve tempus velle carere gratiâ, nondum habitâ ob salutem proximi: potest enim quis existens in peccato mortali propter notabile bonum proximi ad aliquod temporis momentum suam justificationem differre, & intereà proximo succurrere, si vellet quidem conteri, sed non posset propter auxilium spirituale proximo statim impendendum. *Dixi*: nondum habitâ; quia de gratiâ jam habitâ, si illa sine peccato amitti posset, pro utrâque parte disputatur inter Theologos: fundamentum sententiæ negativæ est, quod non possit esse juxtà inclinationem charitatis velle destructionem sui ipsius etiam ad tempus, si verò charitatis actus esset, quo quis vellet amittere gratiam pro bono alterius, charitas tenderet in destructionem sui ipsius:

cum sit proprietas inseparabiliter cum gratiâ connexa.

Infertur 5. In bonis spiritualibus, quæ non cadunt sub obligatione charitatis, cum illa non teneamur velle sed laudabiliter possimus nobis vel alteri velle, possumus absque peccato nobis proximum præferre.

Infertur 6. In illis, quæ quis ex præcepto nón debet amare, potest licitè aliquod detrimentum spirituale pati etiam ob bonum temporale proximi: quia omissio bonorum illorum est licita, finis verò succurrendi in temporalibus proximo est honestus, consequenter istam omissionem Cohonestat v. g. si quis omittat auditionem missæ non præceptam, ut proximo in temporalibus succurat etiam in illis, in quibus aliàs non obligaretur.

Infertur 7. Tenetur etiam aliquando homo propter bonum proximi opera spiritualia omninò libera, quæ ex objecto magis bona sunt, omittere, ut præstet alia ex objecto minus bona, v. g. omittere statum religiosum, ut succurrat parentibus circà temporalia; quia hæc ex se minus bona hic & nunc propter occurrentes circumstantias possunt sub præceptum cadere & esse incompossibilia cum aliis ex se melioribus, quæ sub præceptum non cadunt.

Corollaria hæc ex statuto principio bene sequuntur. Pessima, horribilis & infrunita est illatio, quæ omnes divinas leges pessundat & pronâ sequelâ prævaricari permittit, si eæ cum periculo vitæ amittendæ, concurrant, quam ex obligatione diligendi seipsum facit quenellus in propositione 71. quæ tanquam scaturigo omnis impietatis summo jure damnata est: *Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab eâ lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.* Quid scandalosius dicit potuisset? nunquid enim omnes

nes leges naturales & divinæ ad hominis utilitatem ordinatæ sunt?

2da Regula est: Quoad bona temporalia etiam cæteris paribus tenetur homo seipsum magis diligere, quam proximum ex ratione suprà adductâ, ubi tamen. 1. Distinguendum est inter bona, quorum aliqua sunt, quæ tenetur quis sibi conservare ut sunt vita, corporis integritas, & secundum aliquos fama, imò bona fortunæ; aliqua sunt, quæ non tenetur quis sibi conservare, sed potest illa liberè expendere; ut sunt divitiæ, bona fortunæ statui non necessaria. 2. Distinguendum est inter personas & considerandum: an comparatio fiat unius personæ privatæ ad alteram privatam, vel privatæ ad publicam v. g. principem vel rempublicam. Quâ distinctione adhibitâ

Certum est 1. Quod in æquali tua & reipublicæ necessitate debeas bonum commune proprio tuo præferre, *Ratio est*: quia pars exponenda est ob conservationem totius, hinc extremam necessitatem reipublicæ debes præponere tuæ necessitati extremæ; ideoque debes vitam exponere pro conservatione reipublicæ ità D. Th. hic Q. 26. a. 4. ad 3. ubi inducit S. Aug. ità loquentem; *Cum dicitur charitas non quærit, quæ sua sunt: sic intelligitur quod communia propriis anteponit.*

Dixi: Extremam necessitatem reipublicæ: quia probabile est, quod in gravi reipublicæ necessitate non teneatur quis vitam expendere: quia tunc extrema necessitas ipsius præponderat gravi necessitati reipublicæ. Deinde cum jus conservandi vitam sit homini maximè connaturale, non est obligandus hanc amittere ob quamcunque reipublicæ necessitatem, sed solum ob extremam. Idem dicendum de principe aut de aliâ personâ verè necessariâ reipublicæ.

Certum est 2. Quod in æquali necessitate sua & proximi

ximi privati quis non teneatur illius bonum suo præferre: quia non tenetur proximum diligere suprà seipsum, sed sicut seipsum.

Certum est 3. Quod in bonis, quorum Dominus est & de quibus liberè potest homo disponere sine obligatione ea sibi conservandi v. g. in pecuniis, quas potest aliis erogare possit bonum alienum proprio præferre; cum enim hæc bona possit à se abdicare, honestè id faciet propter bonum proximi.

Sed hic resolvendum est dubium: an bona illa, quæ quis obligatur sibi conservare, possit licitè expendere in æquali necessitate proximi v. g. an vitam suam possit quis exponere pro vitâ alterius privati? ad quod

℟. Non potest homo in æquali necessitate bonorum temporalium, quorum non est Dominus uti vitæ corporis, proximum sibi præferre, si ideò hoc faciat ut conservet bonum proximi: potest tamen, si adsit aliqua specialis ratio alicujus altioris virtutis: quia v. g. alter est amicus ipsius, benefactor, utilis reipublicæ hoc modo. censet Reding cum aliis sententias oppositas conciliari.

Ratio 1ma partis est: Cæteris paribus homo debet quoad necessaria magis diligere seipsum utpote magis sibi conjunctum, quam proximum juxtà generalem. Suffragatur huic sententiæ præter S Th hic a. 4. & infrà q. 64. a. 7. O. ubi ità defensionem occisivam esse licitam probat: *Cum hoc sit cuilibet naturale, quod se conservet in esse, quantum potest* & post pauca addit: *quia plus tenetur homo vita sua providere, quam vitæ alienæ.* S. Aug. l. de mendacio cap. 6. ubi ait: *Si pro illius temporali vitâ suam ipsam temporalem perdit jam non est diligere sicut seipsum, sed plus quam seipsum, quod sane doctrinæ regulam excedit.* Nec S. Aug. est sibi contrarius in lib. de amicitiâ cap. 10. ubi dicitur: *Nihil est negandum amico, omnia pro eo sustinenda*

sunt

sunt: & vita corporis ponenda est pro amico, ut sanxit divina Authoritas. Nam si liber ille sit S. Aug. quod aliqui negant, intelligendus est S. P. de morte pro salute spirituali proximi, aut ex aliquo speciali motivo altioris virtutis, hoc modo etiam explicandi sunt alii SS. Patres, si aliquando videantur contrarium docere, item S. script. cum dicit: *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis.* Intelligenda est de expositione vitæ corporalis pro vitâ spirituali amicorum.

Ratio 2de partis est: Si adsit aliquod speciale motivum altioris virtutis, tunc non amat quis proximum plusquam se, sed opus virtutis amat præ vitâ suâ corporali, ideoque magis diligit se suum scil. bonum spirituale sibi procurando.

Nec dicas 1. Etiamsi nulla specialis ratio adsit v. g. ostensio amicitiæ vel gratitudinis ergà benefactorem, semper tamen honestatem charitatis intendi posse in actu isto, quo vita propria exponitur pro vitâ proximi, licet non habentis specialem aliquem titulum.

Contrà enim est: quod in actu, qui est contrà ordinem charitatis, non possit intendi honestas charitatis; atqui quando tantum vita propria præcisè cum vitâ proximi comparatur, non intendendo simul aliquid altius, tunc est contrà ordinem charitatis vitam alienam propriæ præferre.

Nec dicas 2. Quod possim non occidere invasorem, per quem, nisi ipsum occidam, occidendus sum, licet id non faciam, ut illius saluti spirituali consulam; supponitur enim, quod sit aliquis ab infantia amens & sit Baptizatus adeoque salvandus si à me occidatur, sed ipsum me aggredienem præcisè ideò non occidam, quia nolo hominem occidere; ergo possum meam vitam pro vita corporali proximi exponere non intendendo simul aliquod altius motivum, sed tantum conservationem vitæ proximi. Nam

R. Concedendo casum antecedentis, negando consequentiam: non enim permitto tunc me occidi ob alicujus vitæ conservationem præcisè, sed ideò, ne alium positivè occidam, est enim occisio hominis homini ità gravis dura & terribilis, ut sit actus pietatis ab illa abstinere; dum ergo permitto mortem meam ob hujusmodi finem, est actus virtutis & laudabilis.

Circà hæc ulterius observa 1. Quod licet aliqui existiment esse tantum peccatum veniale oppetere mortem præcisè pro conservanda vita proximi; existimant tamen alii, id esse peccatum mortale: quia ex notabili titulo obligatur quis vitam suam præferre vitæ proximi scil. ob majorem propinquitatem, quam quilibet habet secum, quæ valdè notabilis est.

Observa 2. Quod in illis casibus, in quibus aliquis potest vitam suam pro vita proximi exponere, non liceat seipsum occidere, aut positivè ad mortem suam cooperari, de quo plura in sequentibus.

3tia Regula est: In bonis diversi generis debet quis salutem æternam proximi præferre propriis fortunæ seu vitæ bonis. Probatur ex illo Joan. 13. v. 34. *Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem sicut dilexi vos*; quia ergo Christus dilexit nos usque in finem, profundendo totum sanguinem & vitam offerendo pro nostra salute, debemus nos etiam vitam corporalem pro salute spirituali proximorum profundere quod S. Joannes 1. Epist. suæ cap. 3. v. 16. magis inculcat dicens: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*, cui conformiter S. Aug. l. de mendacio cap. 6. dicit: *Temporalem vitam suam pro æternâ proximi non dubitabit Christianus amittere*. Ratio esse potest: quia bona excellentiora Deoque acceptiora sunt per charitatem Theologicam magis

magis prosequenda; sed bona spiritualia sunt excellentiora Deoque acceptiora, neque ex reflexione ad proprium suppositum fiunt amabiliora: quia hoc tantum verum est in bonis ejusdem ordinis; ergo. Ut tamen hæc Regula bene applicetur.

Nota: Triplicem esse necessitatem: levem, à quâ quis seipsum parvo labore & facili negotio potest liberare; gravem, à quâ quidem sine alterius auxilio se quis potest liberare, sed nonnisi gravi labore & difficulter; extremam, à quâ sine alterius auxilio quis se non potest liberare, ità ut, alio non auxiliante, impossibile sit ipsum liberari, sive impossibilitas sit physica sive tantum moralis. Hoc notato ex præmissâ Regulâ.

Infertur 1. In extremâ salutis æternæ necessitate tenetur in charitate quilibet privatus alteri privato cum bonorum temporalium & propriæ vitæ dispendio succurrere, dummodo moraliter certus sit, auxilium suum, præter quod non est aliud, ipsi profuturum seque ipsum non damnandum: ità communiter Theologi ex principio suprà posito; hinc, si videat aliquis phræneticum seu ebrium quempiam peccato mortali obnoxium periclitari de vitâ, tenetur supposito proprio statu gratiæ, seu quod sibi non sit conscius peccati mortalis, cum propriæ vitæ suæ dispendio ipsum à morte liberare, si possit, & certus sit ipsum posteà pœnitentiam acturum; imò si homo te invadat, & dictæ clausulæ supponantur adesse, teneris te permittere occidi, nec potes pro tui defensione ipsum occidere. 2. Teneris cum propriæ vitæ jacturâ baptizare infantem alias sine baptismo certò moriturum. 3. Cum propriæ vitæ tuæ expositione teneris excitare & periculi admonere Peccatorem dormientem, quem certò scis in somno occidendum, & sine pœnitentiâ moriturum, excitatum verò & admonitum cum pœniten-

tiâ moriturum. 4. Secundum aliquos A A. in casu quo aliquis diuturnâ peccandi consuetudine detentus morti jam proximus petit Confessarium, à quo absolvatur; tunc Parocho absente aliove Sacerdote non succurrente, obligaris cum vitæ periculo ei succurrere; quod verum est, quando peccator est prorsus ignarus, quomodo possit per contritionem sine Sacramento justificari.

Infertur 2. Extrà casum extremæ necessitatis non tenetur homo aliunde non obligatus cum periculo aut dispendio propriæ vitæ vel amissionis membrorum aut gravis jacturæ bonorum fortunæ succurrere proximo in spiritualibus. *Probatur*: quia non congruit suavitati legis Evangelicæ ob necessitatem proximi, à quâ ipse se potest liberare, alium arctari ad propriæ vitæ bonorumque fortunæ amissionem: jus enim conservandi vitam propriam & ea, quæ vitæ sunt necessaria, maximè est connaturale, ideoque non amittitur ob necessitates passim occurrentes, à quibus ipse proximus se liberare potest, quales sunt necessitates graves; hinc non obligaris cum tali damno proximi peccatum impedire: tum quia proximus post peccatum potest sibiipsi per pœnitentiam succurrere, ne damnetur; tum quia ipsemet, cum liberè sit peccaturus, peccatum suum impedire potest. Hinc etiam potes occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ te scienter ex malitiâ occisurum, nisi illum occidas. Quando non es Pastor nec aliunde obligatus, non teneris cum periculo propriæ vitæ audire confessionem aliàs sine confessione morituri, dummodo hic sufficienter sciat se per contritionem posse justificari.

Dixi suprà: gravi jacturâ &c. Quia cum levi detrimento teneris proximo gravem necessitatem spiritualem patienti succurrere; cum proximo gravem necessitatem temporalem patienti cum aliquo tuo incommo-

de

do ſuccurrere tenearis; hinc obligaris ſub gravi peccato impedire peccatum mortale proximi, ſi hoc poſſis abſque gravi tuo damno.

Infertur 3. Tenetur homo privatus aut aliunde non obligatus cum vitæ diſpendio ſuccurrere communitati gravem neceſſitatem ſpiritualem patienti; quia bonum commune & ſingulariter ſpirituale præferendum eſt bono privato eique temporali, hinc teneris cum periculo vitæ te opponere concionatori communitatem pervertenti, ſuccurrere & adminiſtrare Sacramenta communitati in perſecutione aut hoſtili invaſione gravibus periculis peccandi fidemque amittendi expoſitæ. Ex eâdem ratioe quidam AA. exiſtimant, quod tempore Peſtis, ſi Prælati & Parochi deficiant in communitate, teneatur quilibet Sacerdos Sacramenta adminiſtrare etiam cum vitæ diſpendio. Non tamen inferas ex dictis, quod tenearis proficiſci ad Indos, ut ibi communitatibus neceſſitatem patientibus ſuccurras: tum quia alii ſunt, qui ſuccurrunt & petunt ſuccurrere; tum quia incertum eſt, an poſſis eis ſuccurrere.

Infertur 4. Parochi, & quibus ex officio competit Sacramenta miniſtrare, tenentur cum diſpendio vitæ cuilibet ſubdito gravem nnceſſitatem ſpiritualem patienti ſuccurrere. *Ratio eſt*: tum quia hi ratione officii & ob ſtipendium à ſubditis acceptum ad id obligantur; tum quia certum eſt, quod illi arctiùs obligentur, quam reliqui privati. Cum ergo privatus teneatur cum diſpendio vitæ ſuccurrere neceſſitati ſpirituali extremæ proximi, ipſi etiam obligabuntur ſuccurrere gravi; nempe *bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis* Joïs 10. v. 11. Hinc Paſtor non poteſt fugere, nec officium ſuum tempore Peſtis reſignare, niſi offerat ſe alius idoneus, ità tamen ut non exponat vitam ſuam indiſcretè, ſed quantum ſine animarum ſibi com-

commissarum jacturâ potest, eandem adhibitis cautelis conservet.

QUÆSTIO III.

Quis ordo charitatis in viâ & an maneat in Patriâ?

DICO 1. *Diversitas dilectionis, quæ est secundum charitatem, quantum ad speciem est attendenda in proximis diligendis secundum comparationem ad Deum: ut scilicet ei, qui est Deo propinquior, majus bonum ex charitate velimus... Sed intensio dilectionis est attendenda per comparationem ad ipsum hominem qui diligit, & secundum hoc illos qui sunt sibi propinquiores, intensiori affectu diligit homo ad illud bonum ad quod omnes diligit: quam meliores ad majus bonum* S. Th. hic Q. 26. A. 7. O.

Explicatur & probatur Conclusio: duo sunt principia dilectionis erga proximum, alterum est ipse Deus alterum ipse diligens juxtà S. Th. hic Q. 26. A. 6. Secundum proportionem igitur conjunctionis vel majoris vel minoris ad hæc duo principia resultat majus minusve debitum dilectionis proximo impendendæ; si igitur dilectionis mensura sit expendenda in ordine ad Deum, desumi debet ex æternæ beatitudinis participatione, secundum quam Deo quis tantò magis conjunctus est, quantò plus participat de gratiâ sanctificante, per quam stat jus æternæ beatitudinis, juxtà cujus adeò mensuræ proportionem servanda est inæqualitas erga proximum quoad charitatis amorem appretiativum, ità ut pluris illos æstimet majusque bonum illis velit, qui meliores ac sanctiores sunt, sed quoad amorem intensivum sive effectivum aut etiam optativum mensura ex altero dilectionis principio, ex ipso scil. diligente, desumenda est, hic respicit beneficia & obsequia proximo exhibenda pro salutari quo-

piam

piam effectu: hæc autem exhibenda sunt magis illi, qui est diligenti conjunctior: quantò enim major est conjunctio cum diligente, tantò major est hujusmodi diligibilitatis ratio. Hic autem est notandum, quod inter diligentem & proximum triplex possit esse conjunctio: naturalis, qualis reperitur inter consanguineos aut affines; humana, qualis reperitur inter amicos, inter benefactorem & beneficiatum; inter eos, quibus specialis ex fine naturalis ordinis societas intercedit: ut inter Concives, Commilitones; spiritualis, qualis est inter fideles, inter ejusdem ordinis Religiosos, inter Confessarium & pœnitentem &c. Hoc prænotato ex præsupposito principio

Infertur 1. Quod, si plures in pari necessitate sint & omnibus succurri non possit, potiùs juvandi sunt conjuncti, quam non conjuncti seu extranei; & inter conjunctos præferendi sunt conjunctiores minus conjunctis, ità ut Pater primum locum teneat, Mater secundum, Uxor tertium, Filii quartum; & sic proportionaliter quoad cæteros consanguineos; *Ratio est*: quia conjunctio sanguinis saltem propinqua, cum sit secundum substantiam prior, etiam est immobilior & stabilior aliis conjunctionibus, & sicut homo propter substantialem secum identitatem debet seipsum magis diligere, & in necessitate juvare, quam alios; ità etiam conjunctos sibi secundum substantiam (saltem si utrimque sit extrema necessitas) potiùs debet juvare, quam alios; & quidem Pater præfertur Matri: quia est præcipua causa nostri. Uxor filiis: quia est principium filiorum estque marito intimo vinculo conjuncta; censent autem plures AA. quod invertere assignatum ordinem inter consanguineos dicto modo junctos non foret peccatum mortale: cum excessus conjunctionis non videatur gravis, imò Mater benefica Patri crudeli sine omni peccato præferri potest, utpote quæ

addit

addit conjunctioni naturali sanguinis conjunctionem beneficentiæ, quâ caret Pater. *Dixi*: quando utrimque est extrema necessitas; quia extrà hanc debet Maritus uxorem & filios suos non emancipatos præferre Parentibus suis: quia illorum cura sibi specialiter commissa est, adeoque ad conjunctionem sanguinis aliquantò minorem, quæ est cum uxore & filiis, accedit alia obligatio specialis, propter quam iis in gravi necessitate est providendum præ Parentibus juxtà illud 2. Cor. 12. v. 14. *Nec enim debent filii Parentibus thesaurizare sed Parentes filiis.* Similiter si sit dispar necessitas, potest contingere; ut non conjunctus ob majorem necessitatem præferendus sit conjuncto v.g. Si non conjunctus sit in extremâ necessitate spirituali, & conjunctus tantum sit in extremâ necessitate temporali; utique præferendus est non conjunctus: cum, juxta superius dicta, in extremâ necessitate spirituali debeas proximum quemcunque propriæ vitæ corporali præferre; ergo multò magis necessitati temporali conjuncti, si autem non conjunctus sit tantum in gravi necessitate spirituali, & conjuncti, saltem si sint valdè conjuncti, in gravi necessitate temporali, poteris conjunctis succurrere: cum enim non tenearis juxtà suprà dicta proximo in gravi necessitate spirituali succurrere cum gravi jacturâ temporali propriâ, sic nec teneris cum gravi jacturâ tuorum.

Infertur 2. In necessitatibus temporalibus esse quidem Patrem carnalem præferendum Patri spirituali & filios carnales spiritualibus, non autem in necessitatibus spiritualibus: cum in bonis spiritualibus conjunctior sit Pater & filii spirituales, quam carnales juxtà illud S. Ambros. Neque minùs vos diligo, quos in Evangelio genui, quam si in conjugio vos suscepissem: non enim vehementior est natura ad diligendum, quam gratia, plus certo debemus diligere, quos perpetuò no-

nobiscum putamus futuros, quam quos tantum in hoc sæculo. Quinimò quoad temporalia etiam est præcipua ratio aliquando habenda eorum, qui spiritualiter sunt conjuncti: Prælatus enim magis obligatus est ad subditis sibi Religiosis in gravi necessitate providendum, etiam quoad temporalia, quam consanguineis: cum illi se totos tradiderint Religioni, atque hanc susceperint loco Parentis, ipsaque Religio sub tali curâ eos receperit. Sic similiter aliquis cum aliis conjunctus aliis conjunctionibus obligari potest ad bona ipsis conjunctionibus propria istis conjunctis procuranda præ consanguineis; sic commilito quoad res militares commilitoni, civis quoad res civiles concivi, Religiosus quoad res Religionis ejusdem Religionis Professo magis obligatur, quam consanguineis quibuscunque; modo excipias casum extremæ necessitatis: in hoc enim Parentes, uxor & filii præferendi forent: quia qui specialem aliquam obligationem ex aliis conjunctionibus suscipit, casum extremæ necessitatis excipere præsumitur, saltem quoad Parentes uxorem & filios.

Infertur 3. Si Patris uxoris ac filiorum comparatio fiat erga Creditores, quibus aliquis obstrictus est, eosdem creditoribus præferendos esse non modo in extremâ necessitate, in quâ cessat obligatio solvendi debitum, sed etiam probabiliter in gravi necessitate, quantum ad eorum sustentationem est necessarium, quippe cum illorum necessitas perinde debeat ac possit reputari, ac si esset propria.

Infertur 4. Si comparatio fiat peccatoris cum justo, fidelis cum infideli oportet cæteris paribus justum & fidelem præferre ut Apost. ad Gal. 6. v. 10. docet. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes maximè autem ad domesticos fidei.* *Dixi*: cæteris paribus: quia si peccator foret in eo statu, ut nisi hic &

nunc

nunc eripiatur à corporalis sui interitûs discrimine, non possit sibi consulere de salute æternâ, adeoque sit in periculo æternæ damnationis, hic præ justo, qui non est in tali periculo juvandus est. Quando autem periculum illud non esset extremæ necessitatis, eo quod peccator per pœnitentiam se ab eo liberare posset, docent AA. cit. apud Reding posse quidem, non tamen debere homini justo præferri peccatorem.

Obj. 1. Deus semper plus diligit meliores, unde Christus D. sanctiores discipulos vel ex gentibus conversos magis diligebat, quam consanguineos & Judæos; ergo etiam nos debemus semper plus diligere meliores: cum charitas divini amoris sit participatio.

℟. Negando consequentiam: quia ex hoc, quod charitas nostra sit participatio divinæ charitatis, tantum sequitur, quod amore appretiativo, qui oritur ex bonitate objecti, plus debeamus diligere meliores, licet ex aliâ Parte conjunctiores magis diligamus amore effectivo, qui petitur ex conjunctione amati cum amante; in Deo verò non distinguitur duplex ille amor appretiativus & effectivus, sed quem Deus appretiativè magis amat, in illo etiam majus bonum efficit, & qui melior est, etiam Deo conjunctior est; charitas ergo facit hominem conformari divinæ voluntati secundum proportionem, ut scil. ità se homo habeat ad id, quod suum est, sicut Deus se habet ad id, quod suum est, secundum quod Christus Dominus quà Deus dicit Matth. 12. & Mar. 3. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in Cælis est meus frater & soror & Mater est*; cum quibus tamen stat, Christum quà hominem Judæos speciali dilectione effectivâ aliis prætulisse; nam & illis prædicavit, & apud illos miracula patravit, & totius vitæ conversationis mortis & resurrectionis beneficia illis potissimum contulit;

tulit; quamvis ergo meliores & Deo conjunctiores appretiativè magis diligendi sint, effectivè tamen seu secundum exteriorem effectum quidam ordo debet stabiliri, quatenus exteriora beneficia magis propinquis impendere deceat, quam alienis unde S. Aug. l. 1. de Doct. Christ. cap. 28. dicit: *Omnes homines æquè diligendi sunt, sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum vel temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quâdam sorte junguntur.*

Obj. 2. Tota illa de ordine charitatis servando Doctrina videtur inducere acceptionem Personarum, quâ impenditur alicui beneficium, non propter meritum & dignitatem Personæ, sed propter rationem aliunde peritam & ad gratiam collatam impertinentem: v.g. consanguinitatem, societatem &c.

℟. Negando ass. ad probat dicitur: quod distinctio amoris in appretiativum & effectivum tollat vitium acceptionis Personarum: licet enim amorem effectivum nobis conjunctioribus justè impendamus; majorem tamen beatitudinis gradum melioribus secundum justitiam distributivam exoptamus; unde non Personas accipimus; quia ut bene notat S. Th. Q. 63. A. 1. O. *Contingit aliquam conditionem Personæ facere eam dignam respectu unius rei, & non respectu alterius: sicut consanguinitas facit aliquem dignum, ut instituatur hæres Patrimonii, non autem ad hoc, quod conferatur ei Prælatio Ecclesiastica. Et ideò eadem conditio personæ in uno negotio considerata facit acceptionem personæ, in alio autem non facit.*

DICO 2. *Necesse est ordinem charitatis remanere in Patriâ, quantum ad hoc, quod Deus est super omnia diligendus... secundum differentiam boni, quod quis alius exoptat... plus diliget meliores quam seipsum; minus verò minus bonos.* S. Th hic Q 26. A. 13. O.

Probatur Conclusio explicando : In Patriâ cessabit provisio præsenti vitæ necessaria, quâ quis sibi magis conjuncto consulit; ergo ordo amoris effectivi cessabit, & totus ordo beati amoris per ordinem ad Deum observabitur, & ille omnibus modis magis diligetur, qui erit beatior: quia propinquior sibi ille ab unoquoque habebitur, qui erit Deo similior, unde omnibus naturalibus dilectionis motivis ex diversæ conjunctionis necessitudine petitis præferetur incomparabiliter ratio dilectionis ex propinquitate ad Deum desumptæ. Ut deducit S. D. loc. cit.

QUÆSTIO IV.

An detur Præceptum Charitatis & quando obliget?

PRæceptum affirmativum charitatis est duplex diligendi Deum & Proximum de quo Christus Luc. 10. ad Legisperitum tentantem & mandatum hoc in Lege scriptum proponentem respondit. *Rectè respondisti hoc fac & vives.* Præceptum diligendi Deum quidam laxiores Theologi ità attenuarunt, ut docuerint: non esse Præceptum aliquem amoris affectum ergà Deum, sed tantum effectum, hoc est; implenda esse omnia Dei mandata; qui enim alteri servit, ejusque mandata exequitur absque intentione & affectu, solùm illum effectu diligit, non affectu; qui autem ipsum interno amore prosequitur, utrumque habet, affectum & effectum; dixerunt ergo Deum non tam sui amorem præcipere, quam odium prohibere sive formale & actuale, sive materiale, quod in transgressione mandatorum est positum; ideoque qui implens Dei mandata vel nunquam toto vitæ tempore, vel raro actum internum amoris ergà Deum exerceret, minimè contrà Præceptum charitatis esse peccaturum, docuerunt, quorum doctrina damnata fuit in his propositionibus ab Innoc. XI. 5. *An peccet mortaliter, qui actum*

actum dilectionis Dei semel tantum in vitâ eliceret, condemnare non audemus. 6. *Probabile est; ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare Præceptum charitatis erga Deum.* 7. *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possimus* & ab Alex. VIII. damnata est hæc: *bonitas objectiva consistit in convenientiâ objecti cum naturâ rationali, formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè, hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.* Econtrà rigidiores Theologi nimium hujus Præcepti rigorem extenderunt docendo semper hominem esse obligatum ad amorem Dei prædominantem omnibus aliis affectibus, ut quidquid facit homo, fieri debeat ex amore Dei prædominante: ut medium inter hæc extrema attingamus examinabimus Præceptum tum de diligendo Deo propter se, tum de diligendo proximo propter Deum.

DICO 1. *Maximum Poæceptum est de charitate.* S. Th. hic Q. 44. A. 1. O. *Explico*: præceptum charitatis de Deo super omnia diligendo speciale est, cui non satisfit implendo alia Præcepta, sive per effectum, sed etiam obligans ad affectum aliquando eliciendum, non tamen ad semper ex tali affectu operandum, nisi quantum ad propositum habituale Deum omni Creaturæ præferendi.

Prima Pars probatur 1. Ex S. Scriptura Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & in totâ animâ tuâ & in totâ mente tuâ. Hoc est maximum & primum mandatum*; atqui primum & maximum mandatum à cæteris est distinctum, & specialem actum seu affectum imperat: est enim primum mandatum: quia illo jubetur, quod est primum & principale: jubetur enim charitas, quæ est finis, ad quem

omnia Legis Præcepta referuntur: 1. ad Tim. 1. v. 5. *Finis Præcepti est charitas.* Est maximum mandatum: quia omnia reliqua Præcepta virtute complectitur: quia charitas, quæ in eo præcipitur, est res maxima utpote consummatio sive complementum Legis: per charitatem enim Lex impletur, & sine ea impleri non potest. Ad Rom. 13. v. 10. *Plenitudo Legis est dilectio.*

Probatur 2. Actus, quem Deus requirit à nobis tanquam necessarium ad salutem, cadit sub Præcepto; talis autem est actus charitatis Deut. 10, v. 12. *Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, ut ambules in viis ejus, & diligas eum?* 1. Joan. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte* 1. ad Cor. 16. v. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit Anathema.*

Probatur 3. Actus aliarum virtutum cadunt sub Præcepto; ergo etiam actus charitatis: quia actus aliarum virtutum ordinantur ad charitatem, & perfectam unionem cum Deo: sine charitate enim non possumus uniri Deo, quod est finis vitæ spiritualis. Sumitur hæc ratio ex S. Th. l. cit. *Finis spiritualis vitæ est, ut homo uniatur Deo, quod fit per charitatem: & ad hoc ordinantur, sicut ad finem, omnia quæ pertinent ad spiritualem vitam. Unde & Apost. dicit* 1. *ad Tim.* 1. *Finis Præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta. Omnes enim virtutes, de quarum actibus dantur Præcepta, ordinantur vel ad purificandum Cor à turbinibus Passionum, sicut virtutes, quæ sunt circà passiones, vel saltem ad habendam bonam conscientiam, sicut virtutes, quæ sunt circà operationes, vel ad habendam rectam fidem, sicut illa, quæ pertinent ad divinum cultum. Et hæc tria requiruntur ad diligendum Deum. Nam cor impurum à Dei dilectione abstrahitur propter passionem inels-*

inclinantem ad terrena. Conscientia verò mala facit horrere divinam justitiam, propter timorem pœnæ. Fides autem ficta trahit affectum ad id, quod de Deo fingitur, separans à Dei veritate. In quolibet autem genere, id quod est per se, potius est eo, quod est propter aliud, & ideò maximum est Præceptum, de charitate ut dicitur Matth. 22. hucusque S. Thomas.

Obj. 1. S. Bernardus serm. 50. in Cant. dicit: solam operis externi charitatem esse præceptam: *est charitas in actu & in affectu, & de illa quidem, quæ operis est, puto datam esse legem hominibus, mandatumque formatum, nam in affectu quis ità habeat ut mandatur.*

℟. S. Bern. per charitatem in affectu non intelligit quemcunque dilectionis affectum; subjungit enim: *Neque hoc dico, ut sine affectione simus & corde arido solas moveamus manus ad opera.* Sed intelligit talem dilectionis affectum, quo contemplationi bonitatis divinæ homo totus vacat & dulcedine amoris divini sui aliorumque quodammodo oblitus Deo assiduè fruitur. quæ charitas difficilior est in hâc vitâ tot necessariis distractionibus obnoxiâ, quam ut præcipi possit.

Obj. 2. Dilectio Dei nobis præcepta consistit in observantiâ mandatorum Dei juxtà illud Joan. Qui servat mandata mea, ille est, qui diligit me.

℟. Interno dilectionis affectu Deum complectitur, qui omnia Præcepta Dei adimplet, quandoquidem Præceptum amoris ergà Deum inter alias Leges primum locum obtinet, & observantia mandatorum Dei est veræ charitatis effectus & indicium.

Obj. 3. S. Th. hâc Q. A. 6. ad 2. videtur dicere Præceptum dilectionis impleri, si nihil contra dilectionem Dei quis faciat, verba S. Doctoris sunt: *Sicut miles, qui legitimè pugnat, licet non vincat, non*

culpatur, nec pœnam meretur: ità etiam, qui in viâ hoc Præceptum non implet, nihil contrà dilectionem divinam agens, non peccat mortaliter; atqui qui implet Præcepta Dei, nihil agit contrà dilectionem; ergo ille satisfacit Præcepto dilectionis, licet nullum affectum amoris exerceat.

R. Secundum S. Doctorem Præceptum charitatis dupliciter servari potest: perfectè, quando pervenitur ad finem, quem Deus intendit, nempe: ut totaliter cum ipso conjungamur, quod in Cœlo fieri potest; imperfectè, quando ad istam divini amoris perfectionem non pervenitur; utitur exemplo Ducis, qui militibus jubet, ut pugnent, qui tunc perfectè hoc Præceptum implent, si pugnent, etsi non vincant, & tunc noxa carent, cum militiæ Legibus pareant; sed ut miles, qui nunquam pugnat, nullo modo Ducis imperium exequitur, sic homo, qui actu nunquam diligit Deum, mandatum diligendi ne imperfectè quidem servat.

Secunda Pars probatur exponendo tempus, quo hoc Præceptum obligat videlicet imprimis sub initium usûs rationis sive vitæ moralis: quia voluntas hominis ratione utentis omni prorsus amore nequit esse vacua; ergo sub initium usûs rationis, quando advertit rationes, quas habet amandi Deum super omnia, eique serviendi, & sua omnia in ejus gloriam referendi, nec tamen sese in Deum erigit, est necesse ut maneat affixus Creaturis. *Adde*: quod ipsa ratio naturalis dictare videatur, par esse, ut homo primitias suæ voluntatis referatâ primum ratione Divinæ Majestati offerat.

Deinde: In Articulo vel periculo mortis: quia tunc non amare Deum super omnia, quando & ejus amor maximè necessarius est ad se muniendum pro felici exitu, & deinceps non poterit in hac vita exerceri, ad

ad contemptum pertinet; præsertim cum tunc potissimum hostis humani generis à fine ultimo nos omni conatu avertere, adeoque amorem, utpote semen gloriæ, extinguere satagat. Denique eliciendus est hic actus sæpius in vitâ tum per se, ne quis diu hunc actum omisisse censeatur, tum per accidens, quando susceptio Sacramentorum aut necessaria virtutum aliarum exercitia charitatis actum requirunt.

3tia Pars probatur: Quod semper eliciatur actus charitatis, humanis viribus est impossibile, utpote quæ pro variis aliis occupationibus necessariæ sunt; attamen cum hoc præceptum datum sit ad vitam rectè instituendam, & ad æternam salutem promerendam, non est verisimile, quod solum obliget in periculo mortis, quando vita jam est finienda, sed ut dictum est, sæpius in vita, determinare tamen singula tempora, quibus hoc præceptum sit implendum sub obligatione peccati mortalis, vix est possibile; relinquitur ergo prudenti judicio ad judicandum, an per nimis longum tempus fuerit quis sine actuali dilectione Dei & quia, juxtà sylvium, nobis non advertentibus, interdum accidit hujus præcepti omissio, ipsam esse credimus inter peccata de quibus Ps. 18. v. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.*

4ta Pars probatur 1. Ex script. Eccl. 13. v. 18. *Omni vitâ tuâ dilige Deum.* Sed hoc præceptum non potest intelligi de continuando dilectionis actu; ergò de continuando habituali dilectionis propsito.

Probatur 2. Ex S. Th. hic a. 4. ad 2. *Dicendum, quod dupliciter contingit, ex toto corde Deum diligere, uno quidem modo actu, id est, ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur; & ista est perfectio Patriæ. Alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur: ità scilicet quod nihil contrà*

Dei dilectionem cor hominis recipiat; & hæc est perfectio viæ, cui non contrariatur peccatum veniale, quia non tollit habitum charitatis, cum non tendat in oppositum objectum, sed solum impedit charitatis usum, Q. 24. a. 8. O. ità S. D discurrit: *Ex parte diligentis tunc est charitas perfecta, quando diligit tantum, quantum potest. Quod quidem contingit tripliciter uno modo sic, quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum. Et hæc est perfectio charitatis Patriæ, quæ non est possibilis in hâc vitâ, in quâ impossibile est propter humanæ vitæ infirmitatem semper actu cogitare de Deo & moveri dilectione ad ipsum. Alio modo, ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo & rebus divinis, prætermissis aliis, nisi quantum necessitas præsentis vitæ requirit. Et ista est perfectio charitatis, quæ possibilis est in viâ, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo ità, quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo: ità scilicet quod nihil cogitet vel velit, quod divinæ dilectioni sit contrarium & hæc perfectio est communis omnibus charitatem habentibus.*

Probatur 3. Ratione: homo debet semper esse conversus ad suum ultimum finem; atqui nisi habituale propositum Deum præferendi omnibus creaturis habeat, non est conversus ad suum ultimum finem: si enim careat illo proposito, habebit aliquem affectum ad creaturam, in qua constituat ultimum finem, vel quam paratus est præferre Deo, & ità Deum non diligit ex toto corde, est autem præceptum non tantum diligendi Deum, sed etiam diligendi Deum ex toto corde, quæ totalitas non debet esse actualis: id est: non est necesse, quod in omni actu per quemvis affectum cor in Deum de necessitate præcepti feratur, sed sufficit totalitas habitualis: id est: habituale propositum nihil admittendi contrà dilectionem Dei, sive

anima

animæ dispositio permanens, quâ Deum omnibus præferimus, & omnia potius, quam Deum abjicere parati sumus; quare peccatum veniale, cum non tollat illam totalitatem, id est: circumstantiam, quæ dilectioni Dei ex primo mandato adesse debet, non adversatur charitati.

Obj. 1. Præcepta affirmativa non obligant ad semper, ut est commune Theologorum axioma; atqui præceptum amandi Deum est affirmativum, juxtà S. Th 1. 2. Q. 100. a. 10. ad 2. Ergo.

R. Distinguendo maj. præcepta affirmativa non obligant ad semper, quatenus sunt affirmativa, id est: prout injungunt actum aliquem Con. quatenus sunt negativa; id est: quatenus prohibent aliquid N. præcepta prout aliquem actum injungunt, ad omne tempus se non extendunt; quia perpetuitas actuum non est possibilis in tot hujus vitæ distractionibus, cum illo tamen optimè consistit, quod omne tempus comprehendant, quatenus aliquam animi dispositionem seu virtutem ex actu relictam postulant; sicut igitur præceptum dilectionis proximi est affirmativum, quatenus præcipit actum dilectionis ergà proximum & secundum illam rationem semper, non tamen pro semper obligat; quatenus autem prohibet aversionem à proximo, ac exigit dispositionem succurrendi proximo, quoties necessitas id exegerit, est negativum, & semper & pro semper obligat; ità præceptum charitatis ergà Deum est affirmativum, quatenus præcipit actum dilectionis Dei, est autem negativum, quatenus prohibet aversionem à Deo, quæ fit per conversionem ad creaturas, & quatenus præcipit talem in animo dispositionem, ut parati simus creaturas potius, quam Deum deserere, & actum charitatis elicere, quando circumstantiæ occurrentes id postulabunt.

Obj. 2. Ex his sequitur: quod statim post com-

missum peccatum actus amoris sit excitandus, & renovandus.

℟. Quia quodlibet peccatum mortale est violatio primi & maximi præcepti de amando Deo, cum Dei dilectio, quæ cordi nostro semper inesse debet, quolibet peccato mortifero incidatur & abrumpatur, ideò illicò moraliter loquendo, videlicet dum practicè homini status suæ inimicitiæ cum Deo ut deserendus proponitur amor Dei post peccatum excitari debet, ne alioquin homo amore Dei prædominante illo tempore, quod post peccatum fluit, careat; adeoque primum præceptum decalogi violet: hoc tamen non est ità intelligendum, quasi primo instanti physico homo sit obligatus Deum, quem graviter offendit, amare, sed debet se homo, quamprimum statum suum advertit, disponere per actus fidei, spei, pœnitentiæ ad amorem.

Obj. 3. Ex præcepto tenemur omnia ad Dei gloriam facere ità enim explicat S. Th. illud Apost. 1. ad Cor. 10. v. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* ad Colos 3. v. 17. *Omne, quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi.* 1. ad Cor. 16. v. 14. *Omnia vestra in charitate fiant.* Loca S. Th. in quibus indicat his verbis contineri strictum præceptum sunt 2. 2. Q 69. a. 1. in arg. sed contra. *Omne quod est contrarium divinæ gloriæ, est peccatum mortale: quia ex præcepto tenemur omnia in gloriam Dei facere ut patet.* 1. ad Corin. 10. q. 83. a. 14. O. *Omnia autem debemus in gloriam Dei facere, ut dicitur* 1. ad Cor. 10. q. 89. a. 4. ad 3. *Omnia, quæ facimus, debemus in Dei reverentiam facere.* in 2. dist. 40. q. 1. a. 5. ad 7. *Dicendum, quod hoc, quod dicitur: omnia in gloriam Dei facite: potest intelligi dupliciter, vel affirmativè vel negativè, si negativè,*

sic

sic est sensus, nihil contrà Deum faciatis. Et hoc modo præceptum est, & sic præceptum hoc præteritur, vel per peccatum mortale, quod contrà Deum fit, vel per peccatum veniale, quod præter præceptum & præter Deum fit, si autem intelligatur affirmativè, hoc potest esse dupliciter: aut ità, quod actualis relatio in Deum, sit conjuncta actioni nostræ cuilibet, non quidem in actu, sed in virtute, secundum quod virtus primæ ordinationis manet in omnibus actionibus sequentibus, sicut & virtus finis ultimi manet in omnibus finibus ad ipsum ordinatis; & sic adhuc præceptum est. Ergo ex mente S Thomæ, præceptum charitatis non tantum postulat habituale propositum Deum præferendi omni creaturæ, sed etiam omnia, quæ homo facit, debent fieri vel actualiter vel virtualiter ex tali proposito vel ob ultimum finem.

℟. 1. Præceptum in verbis Apostoli contentum, quatenus loquitur de fine supernaturali, solos eos obligat, quibus fides Christi fuit annuntiata, qui proinde omnes actiones suas ordinare debent, non quidem actu, sed virtute in gloriam Authoris gratiæ & gloriæ; cæteri verò, quamvis eo præcepto non obligentur, obligantur tamen præcepto naturali, ut omnes actiones quas ex deliberatâ voluntate faciunt, ordinent in Deum ut Authorem naturæ, ità ut in illis hoc spectent, quod est rectæ rationi consonum.

℟. 2. Hæc & similia verba Apostoli: *Omnia vestra in charitate fiant* Intelligi possunt aut de charitate, quâ Deus simpliciter diligitur super omnia, & sic non est præceptum, ut omnia positivè faciamus ex charitate, modo nihil faciamus à charitate alienum, aut de charitate, quæ importat Sincerum affectum, quo sic Deus diligitur in illo opere, quod propter ipsum fit, & ità bonum est, ut omni vitio careat; & sic omnia

facere,

facere ex charitate esse præceptum Christiani; sustinent multi Thomistæ & taliter multa bona opera faciunt etiam mali Christiani, quamvis, dum operantur, de Deo non cogitent; virtute enim & implicitè operantur propter ipsum, adeo ut si rogarentur, quare hoc facerent, finaliter dicerent; quia Deus hoc jubet, vel consulit, vel quia Deo gratum est, quia est conforme fidei Christianæ.

℣. 3. Fran. Sales. l. 12. de amore cap. 8. Apostolum ità interpretatur: *omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi: sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud facitis, omnia in gloria Dei facite. Sunt propria hæc divi Pauli verba, quæ, ut dicit D. Angelicus, sunt in sufficienti usu & praxi quando nos possidentes habitum sanctissimæ charitatis, per quam esto non habeamus expressam & activam intentionem faciendi, quidquid facimus, propter Deum, habemus tamen intentionem implicitam & continuatam in unione & communione, quam cum Deo habemus, per quam omne bonum, quod facere possumus, una nobiscum dedicatum est divinæ bonitati.* Explicat hoc aptissimo hoc simili: *non est opus, ut Filius in ædibus paternis sub Patris potestate commorans declaret, quidquid acquirit, acquirere se Patri; nam cum is sit sui Patris, quidquid ab eo dependet & provenit, ad Patrem spectat; sat enim est, quod simus Filii Dei per dilectionem, ut quidquid agimus, integrè destinatum & devotum ad ejus gloriam referamus.*

DICO ℣. *Non solum oportet dari præceptum de dilectione Dei, sed etiam de dilectione proximi.* S. Th. hic. Q. 44. A. 2. O. *Explico*: ex præcepto affirmativo tenemur diligere proximum in communi licet non in particulari. Nisi in occasionibus sublevandæ necessitatis, vel deponendi odium, aut componendi dissidia.

Pri-

Prima pars probatur: Ex sacra Scriptura Luc. 10. v. 27. *diliges ... proximum tuum sicut teipsum* 1. Joan. 4. v. 21. *hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*. v. 11. *si sic Deus dilexit nos. & nos debemus alterutrum diligere*; cum autem diligere sit actus internus, sine illo intelligi nequit, quomodo impleatur præceptum dilectionis toties repetitum; quamprimum igitur homini lex divina proponitur, juxtà quam debet diligere Deum & proximum propter Deum, præceptum charitatis per se obligat, ut Deus diligatur, & proximus in communi per actum internum & formalem, & in hac dilectione vel formaliter vel virtualiter vel ad minus habitualiter homo perseveret.

Secunda pars probatur: quia, per se & abstrahendo a circumstantiis enumeratis, omnes proximos in particulari speciali dilectione diligere, est impossibile, & consequenter non est præceptum. Unde patet disparitas inter obligationem amandi Deum & proximum; obligatio enim amandi Deum per se est propter amandum, ibi sistendo; obligatio autem amandi proximum non est per se, sed vel propter succurrendum, vel ad vitandum odium, rixas, querelas &c.

Tertia pars probatur: quia in gravi necessitate proximi non tantum est obligatio exterius succurrendi, sed etiam volendi succurrere; atqui hæc voluntas succurrendi est amor proximi; ergo respectivè ad illum casum est obligatio amandi proximum in particulari amore interno; quod dicitur de casu necessitatis sublevandæ, etiam est dicendum de casibus, in quibus deponendum est odium, vel facienda reconciliatio cum proximo offenso &c. Quia igitur in quavis communitate innumeræ sunt occasiones dissidii, contentionum, æmulationum

&c.

&c. In quibus innoxii esse non possumus, nisi exerceamus actum dilectionis ergà proximum, hinc sæpissimè ad actus internos charitatis erga proximum in particulari obligamur, aliquando sub mortali, aliquando sub veniali, juxtà gravitatem vel levitatem materiæ, & sic optimè intelligitur illud 1. Petri 4. v. 8. *mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes.*

Ex quo ulterius sequitur, quod non satisfiat præcepto dilectionis proximi per actus solos externos, si quis externè tantum det signa dilectionis, eum juvet, ei succurrat exterius, dum est in necessitate, sed præterea requiritur ut hæc faciat cum actu interno, quo bene velit proximo; hæc modo certa post damnatas propositiones ab Innoc. XI, 10mam, *non tenemur proximum diligere actu interno & formali*, 11mam *præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

DISPUTATIO XVII.

De actibus & effectibus charitatis & oppositis.

QUÆSTIO I.

An sit melius diligere amicum quam inimicum?

DICO. *Ex parte rationis, propter quam diligitur... dilectio inimici præeminet* S. Th. hic Q. 27. A. 7. O.

Explicatur & probatur conclusio ex S. D. l. cit. dilectionis inimici nulla potest esse alia ratio, quam solus Deus: cum dilectionis amici possit esse alia ratio, scilicet conjunctio specialis amicitiæ; deinde: si uterque & amicus & inimicus diligatur propter Deum, fortior ostenditur esse Dei dilectio, quæ animum hominis ad remotiora extendit scilicet usque ad dilectionem inimicorum; sicut virtus ignis